



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

XXII. De vigilia & festo Ascensionis Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

TITVLVS XXII.

De vigilia & festo Ascensionis Domini.

1. **I**N vigilia Ascensionis, si occurrat festum simplex, in Missis priuatis fit commemoratio de eo in secunda oratione, & tertia erit de Rogationibus, quæ in officio nullam habet commemorationem. In Missis priuatis de festo nouem Lectionum fit commemoratio primò de vigilia, & postea de Rogationibus. Si occurrat hac die festum Patroni nulla fit commemoratio de vigilia.

2. Si occurrat festum nouem Lectionum non Patroni, dicuntur in hac vigilia tres Missæ in Ecclesijs Collegiatis; Prima post Tertiam de festo, secunda post sextam de vigilia, tertia de Rogationibus post Nonam, & in vnaquaque earum secunda Oratio erit *Concede* tertia *Ecclesia* vel pro Papa.

3. In festo Ascensionis Domini extinguitur Cereus Paschalis post Euangelium, dictis his verbis *Assumptus est in calum, &c.* ad repræsentandum Christi discessum ab Apostolis, qui non amplius accenditur sed reponitur vsque ad Sabbathum sanctum ad benedictionem fontis.

4. Si aliquod festum occurrat habens octauam quæ nondum finita est feria sexta post octauam Ascensionis, finitur ad Nonam huius diei inclusiue, nec amplius, etiam ad Vesperas sequentes fit vlla commemoratio de octaua.